

municantem in civilibus cum excommunicato sequentes causae: *Utile, Lex, Humilis, Res ignorata, Necessitas*. I. *Utile*, scil. ubi notabilis utilitas exigit, licet excommunicato subsidium ferre tum corporale, tum spirituale per consilium, adhortationes etc. ut collig. ex c. *cum voluntate*, 54. de sent. excomm. II. *Lex*, nempe *matrimonialis*; si enim uterque, vel unus conjugum sit excommunicatus, illis tamen licet debitum petere et reddere, rei familiaris curam habere; et in iis omnibus inter se communicare, quae pertinent ad educationem prolium, et gubernationem domus. Addit *Laym.*, quod maritus tanquam caput teneatur excommunicatam uxorem ad emendationem perducere etiam ei negando societatem, quando id ei expedire iudicaverit; si tamen id negligat, eum quidem peccare contra legem naturalem charitatis, non autem contra legem ecclesiasticam de vitandis excommunicatis. III. *Humilis*, excusat nimirum necessitas communicandi ratione subjectionis, et reverentiae, quam debent filii parentibus, servi et ancillae et villici Dominis, religiosi Praelato, et clerici Episcopo, etsi sint excommunicati dicti superiores, ac domini, c. *inter alia*, de sentent. excomm.; item can. *quoniam multis*. XI. q. 3. . . . IV. *Res ignorata*: excusat etiam ignorantia tam juris, quam facti, modo non sit crassa et affectata, ut dixi n. 1404. In dubio, an quis sit excommunicatus, non teneor illum vitare; in dubio autem, an antea certo excommunicatus nunc sit absolutus, teneor adhuc vitare. Ita *Laym.* l. c. c. 2. n. 16. . . . V. *Necessitas*: denique excusat necessitas vitandi aliquod grave incommodum animae vel corporis, famae et bonorum temporalium, v. g. si quis metu mortis adigatur communicare cum excommunicato. Sic necessitas excusat omnes illas personas, quae ratione alicujus contractus obligatae sunt personae excommunicatae; arg. ex c. *inter alia*, de sentent. excomm. Sic a debitore excommunicato licet exigere debitum. *Laym.* l. c. n. 17. tradit sequentes, regulas: *primo*, supponendum, omnes contractus cum excommunicato initos validos quidem esse, sed illicitos. *Secundo*, si quis bona fide, sive ignorans cum tali contraxerit, poterit postea contractum prosequi, perinde ac si excommunicatio supervenisset; si vero sciens, et mala fide, tunc a contractu resilire debet, si sine gravi incommodo possit. Sic famulus, cujus dominus post contractum initum excommunicatur, potest in famulatu perseverare: si vero sciens cum prius excommunicato contrahat, debet ab illo discedere, si id possit sine gravi incommodo.

1423. *Novus* effectus est *privatio sepulturae ecclesiasticae*, ut constat ex c. *Sacris*, de sepulturis; scil. non toleratus, si moriatur ante absolutionem a censura (etsi signa poenitentiae dederit, juxta c. *a nobis* 28. de sentent. excomm.), neque in loco sacro, aut benedicto licite sepeliri, neque a Clero solemniter ad sepulturam deduci potest, nec licet pro eo sacra facere funebria. *Coemeteria* autem, in quibus excommunicatorum corpora sepeliri contingit, reconcilianda erunt aspersione aquae solemniter benedictae, sicut in dedicationibus Ecclesiarum fieri consuevit. Ita c. *consulisti*. 7. de consecrat. Eccles., Poenitens tamen potest post mortem absolvi, ut fruatur sacra sepultura; absolvitur autem iisdem verbis, quibus vivus; satis est verberari sepulcrum, aut sarcophagum. Pariter sepultura sacra privandi sunt Judaei, gentiles, infantes sine baptismo mortui; in dubio autem, an infans parentis Christiani sit valide baptizatus, non est privandus sepultura sacra; item si in utero cum matre moriatur, cum matre est sepeliendus, quia pars matris esse censetur. Vide *Engel* l. 3. t. 38. Item privantur sepultura sacra, qui se ipsos occiderunt ex ira, vel desperatione; secus si ex mentis alienatione, nimia melancholia cum amentia conjuncta. Si de hoc non satis constat, v. g. si in cubiculo suspensus, vel in puteum

praecipitatus reperiatur, consulendus est Episcopus: si id fieri nequeat, examinandi sunt, qui cum mortuo proxime conversati sunt, an adverterint signa emotae mentis, desperationis, aut alia; dubio adhuc stante affirmat *Engel*, posse permitti sepulturam sacram saltem de nocte, tum ut tollatur offensa populi, tum ut consulatur famae defuncti et propinquorum. Ita *Jansen*. p. 2. cas. 114. num. 15. cum *Engel*. A sepultura sacra excluduntur manifesti concubinarij, raptores, usurarii, nisi ante mortem signa poenitentiae dederint; in dubio super his signis poenitentiae semper ante sepulturam recurrendum est ad Ordinarium, uti merito praescribit *Rituale Coloniense* pag. 156. Denique sepultura sacra privatur, qui non est confessus in anno, nec communicavit in Paschate; haec tamen requirit sententiam judicis.

1424. *Decimus* effectus est, quod si excommunicatus toto anno contumaciter in excommunicatione persistens insordescat, contra ipsum tanquam de haeresi suspectum possit procedi, ut patet ex Trid. sess. 25. c. 3. de reform.

1425. *Principium III*. Excommunicatio minor est censura ecclesiastica per se privans usu passivo sive perceptione sacramentorum et electione passiva ad beneficia, et dignitates ecclesiasticas. Duplex est ejus effectus. *Primus* est *directus* et *per se* talis, scil. privatio perceptionis sacramentorum. Hinc ligatus hac censura peccat graviter, qui absque justa necessitate suscipit sacramenta Confirmationis, Poenitentiae, Eucharistiae, Ordinis, extremae Unctionis, vel Matrimonii; praeter peccatum tamen non incurrit irregularitatem. Dixi, *peccat graviter*: quia materia hujus prohibitionis est gravis. *Secundus* est *indirectus*, fluens ex primo, scil. quod ligatus dicta censura eligi non debeat ad beneficium ecclesiasticum, sed electio infirmata sit. Vide c. *si celebrat*, de Clerico excomm., ubi *Greg. IX.* ita loquitur: *Si celebrat minori excommunicatione ligatus, licet graviter peccet, nullius tamen notam irregularitatis incurrit, nec eligere prohibetur, vel ea, quae ratione jurisdictionis sibi competunt, exercere. Si tamen scienter talis electus fuerit, ejus electio est irritanda. . . . Peccat autem (juxta Laym. l. c. cap. 3. n. 4. venialiter) conferendo ecclesiastica sacramenta, sed ab eo collata virtutis non earent effectu, cum non videatur a collatione, sed participatione sacramentorum (quae in sola consistit perceptione) remotus. Hanc censuram incurrit juxta n. 1421. quisquis cum excommunicato non tolerato, exceptis casibus n. 1422. relatis, communicat. Ab excommunicatione autem minore in foro externo absolvere potest quivis ordinarius iudex ecclesiasticus: in foro autem interno non tantum Episcopus, sed etiam Parochus, et quivis proprius Sacerdos, h. e. approbatus ab Ordinario, non autem simplex tantum Sacerdos, ut probat *Laym.* l. cit. c. 3. n. 6. tum ex c. *nuper*, de sent. excomm., tum ex communi DD.*

### §. III. Resolutio casuum.

#### CASUS I.

*Zacharias Herbipolensis ligatus excommunicatione propter lectionem librorum haeticorum impetrat indultum Sedis Apostolicae, vi cujus sibi eligere potest Confessarium ex approbatis ab Ordinario, a quo possit absolvi a reservatis criminibus, et censuris. Hinc eligit sibi Religiosum peregrinum, in sua quidem dioecesi, unde venit, non tamen Herbipoli approbatum.*

1426. Q. I. An Zacharias potuerit absolvi a dicto Religioso? R. *Negative*. Ita constat ex Constitutione centesima *Bened. XIV.* quae incipit:

*Apostolica indulta* (et agit de *indultis Apostolicis eligendi Confessarium ab Ordinario approbatum, pro absolutione a criminibus, et censuris reservatis*) tom. 1. ejusdem Bullarii p. 358. ubi statuit §. 6.: *Ut si in aliquo indulto tam saecularibus, quam regularibus tribuatur facultas eligendi Confessarium ab Ordinario loci approbatum, tunc Confessarius vigore talis concessionis, sive a saeculari, sive a Regulari Poenitente ad audiendas eorum respective confessiones electus, nullatenus hujusmodi confessiones audire valeat, nisi ab Episcopo dioecesano, et Ordinario loci, ubi confessio excipienda est, ad confessiones approbatus et deputatus existat; quacumque alia approbatione, tam illius generis, quam uterque Innocentius, scil. XII., et XIII., Praedecessores praedicti declararunt non suffragari, quam ea, si de Regularibus agatur, quae a solo proprio Regulari Praelato obtenta foret, minime suffragante.* Supra §. 3. in eadem Constit. refert declarationem *Innoc. XIII.*, §. 2. declarationem *Innoc. XII.* In fine §. 6. confessiones et absolutiones aliter imposterum factas et respective auditas sive imperitas, irritas fore et invalidas declarat, et contrariam quacumque opinionem (non obstante quocumque privilegio, etiam Bullae cruciatae, et cujuslibet Ordinis, et Instituti) ejusque praxim deinceps prohibet ac reprobat.

1427. Quinam sint casus in corpore juris reservati, vide supra a num. 787. usque ad n. 805. Ibid. a n. 808. referuntur casus *Bullae Coenae*, qui de novo continentur in *Litteris processus Benedicti XIV. publicatis die Coenae Domini* anno 1741., quarum initium est: *Pastor Rom. Pont.* Num. 809. usque ad n. 819. recensentur casus reservati ex Bullario, et aliis Constit. Quis possit absolvere a peccatis reservatis, dixi a num. 842. et sequ.

1428. Q. II. Quid observandum circa excommunicationem Summo Pontifici reservatam, quam incurrunt illi, qui haereticorum libros sine Sedis Apostolicae auctoritate scienter legunt? R. cum *P. Laym.* L. 2. t. 1. c. 15.: Quatuor conditiones requiruntur, ut dicta excommunicatio incuratur: 1. ut liber ab haeretico scriptus sit; nihil autem refert, utrum liber typis sit excusus nec ne, dummodo ab haeretico sit scriptus, quia liber manuscriptus in communi acceptione vere est liber, imo alias facile eluderetur lex de iis non legendis. Nec refert, an auctor sit haeticus nominatim damnatus, an non. Nam de haeretico quamvis tolerato, et non notorie damnato vere tamen dicitur, quod sit haeticus. *Quarte V.* Libri prohib. num. 400. Non tamen incurritur excommunicatio, si quis haereses scriptoris haeretici in libro auctoris catholici ad verbum insertas, quamvis prava intentione legat, quia lege canonica non punitur animus, sed factum legentis librum haeretici, qualem talis non legit. Idem dicendum, si in catholici scriptoris libro legas adjecta scholia auctoris haeretici; quia talis liber non censetur commentantis haeretici, sed catholici, a quo scriptus; *Nisi* (ut ait *Suarez*) *tales vel tam copiosi essent commentarii, ut jam censeretur liber potius ex eis, quam ex textu constare.* An vero is incurrat excommunicationem, qui scienter epistolam, vel concionem in formam tractatus non redactam, ab haeretico de causa Religionis scriptam legit, aut imprimit? Respondet *Thomas Sanchez* (L. 2. Operis Theol. in praecept. Decal. c. 10. n. 29.) *negative*; quia epistola, vel simile schediasma communiter non solet comprehendi sub nomine libri; verba autem legis poenalis strictae ac proprie accipienda sunt. Affirmativam tamen *Ugolini, Laym.* dicit esse verisimilem; quia Bulla Coenae ideo mentionem libri facit, quia haereses frequentius libris propagari solent, ideoque tantum speciem praecipuam pro genere posuit, ita ut alia scripta propter eandem rationem non exclusam videantur.

*Secunda* conditio est, ut liber vel *haeresim in se contineat*, h. e. ali-

quid doceat contra aliquem articulum fidei, v. g. non esse septem sacramenta, sub speciebus panis et vini non esse Corpus et Sanguinem Christi etc.; vel de *Religione tractet*, puta Sacram Scripturam interpretando, Theologicas quaestiones decidendo, de cultu Dei et Sanctorum, statu Clericorum vel Monachorum disputando. *Inferes* cum *Laym.* non esse prohibitos haereticorum libros philosophicos, medicos, historicos, poeticos, si nullam *haeresim contineant.* Excipe eorum haereticorum v. g. Joan. Aventini, Joan. Scleidani, Sebast. Munsteri historias, quorum praecipuum institutum fuisse constat, Romanam Ecclesiam, Clericorum et Monachorum statum denigrare; esse autem prohibitos haereticorum libros, qui ex professo de Religione tractant, etsi certum sit, nullum errorem contra fidem orthodoxam in iis contineri. Docent etiam *Suar.* et *Sanch.* l. c. n. 34. contra *Sayrum, Graffis* et alios, prohibitos esse illos HH. libros, quibus ex instituto non de Religione tractantibus, obiter aliqua haeresis inserta est, quia Bulla Coenae disserte distinguit: *Si aut liber haeresim contineat, aut de Religione tractet:* in alternatis autem sufficit alterutrum verificari. Subnectit hic *Laym.* l. c. n. 4.: verumtamen in partibus nostris Septentrionalibus Bullaris haec Constitutio secundum talem rigorem recepta non est.

*Tertia* conditio est, ut quis ejusmodi librum *scienter* legat, aut imprimat; hinc ab hac censura immunes sunt, qui ignorant, quamvis crassa ignorantia, librum haeretici esse, aut de religione tractare. Sufficit tamen ad censuram incurrendam, si quis scienter tantum ex curiositate, non pravo affectu legat ejusmodi librum.

*Quarta* conditio est, ut id quod legitur, sit materia notabilis et sufficiens ad peccatum mortale, quia juxta probabiliorum in hac re admittitur parvitas materiae, ut docet *Sanch.* l. c. contra *Ugolinum* et *Toletum* dicentes, quod una vel altera linea sufficiat ad excommunicationis censuram. Videtur tamen una pagina lecta ex justo volumine esse sufficiens materia ad peccatum grave, et censuram.

1429. Praeterea notandum ex indice librorum prohibitorum auctoritate *Pii V., Sixti V.* et *Clementis VIII.*, quod duplex sit classis librorum prohibitorum. In prima ponuntur auctores omnes haeretici, vel de haeresi publice suspecti, quorum omnes libri de Religione tractantes, vel haeresim continentes tum editi, tum imposterum edendi prohibentur sub poena excommunicationis Papae reservatae. Ad alteram classem pertinent libri, qui doctrinam suspectam, vel moribus fidelium repugnantem continere judicantur, quamvis a Catholicis AA. prodierint. Hi prohibiti sunt sub excommunicatione non reservata, ut habetur in regula Indicis decima; postremae tamen classis libros non licet apud se retinere, ut constat ex propos. 45. ab *Alex. VII.* damnata. Supradicta tenent, cum Principes in contrarium non habent juxta Concord.

## CASUS II.

*Zeno vir alias generosus humanae vilipensionis vitandae causa duellum acceptat, dum certo scit pugnam non esse secururam, sed ab aliis impediendam.*

1430. Q. An Zeno excusari possit a culpa et poena duellantium? R. *Negative*, ut patet ex sequentibus, *Adverte*, quod *Benedictus XIV.* ex justo zelo, anno 1752. IV. Idus Novembr. in Constitutione, quae incipit: *Detestabilem*, damnaverit, et prohibuerit quinque propositiones duellorum abusu faventes, et veteres leges adversus duellantes editas novis sanctionibus cumulaverit. Ab initio hujus Constit. breviter meminit decretorum antiquiorum contra duella, scilicet l. Epist. L. *Nicolai I.* ad Caro-

lum Calvum. 2. Decretorum *Caelestini III.* *Innocentii II.* *Eugenii III.* *Alexandri III.*, trium Praedecessorum decreta citantur in Concil. Lateran. c. 1. et 2. de torneamentis. 3. Epistolae *Innocentii III.* ad Archiepisc. Episc., aliosque Ecclesiasticos Regni Franciae. Deinde recenset Constitutiones recentiores, quibus Romani Pontifices *Julius II.* in Constit. *Regis Pacifici*, item *Leo X.* in Constit. *Quam Deo et hominibus*, *Clemens VII.* in Constit. *Consuevit Romanus Pontifex*, ac *Pius IV.* in Constit. *Ea quae a Praedecessoribus*, gravissimas poenas antea statutas confirmarunt, aliasque de novo addiderunt contra duellantes. Postea praeter statutum Trident. sess. 25. c. 19. de reform. meminit Constitutionis *Greg. XIII.* Ad tollendum, et *Clementis VIII.* quae incipit: *Illius vices*. Item meminit propositionum 2. 17. et 18. damnatarum ab *Alex. VII.*, et 32. ab *Innoc. XI.* damnatae, quae subiungit quinque sequentes propositiones:

„I. Vir militaris, qui nisi offerat, vel acceptet duellum, tanquam „formidolosus, timidus, abjectus, et ad officia militaria ineptus haberetur „indeque officio, quo se suosque sustentat, privaretur, vel promotionis „alias sibi debita ac promerita spe perpetuo carere deberet, culpa et „poena vacaret, sive offerat, sive acceptet duellum.

„II. Excusari possunt etiam honoris tuendi, vel humanae vilipensionis vitandae gratia, duellum acceptantes, vel ad illud provocantes, „quando certo sciunt, pugnam non esse securam, utpote, ab aliis impediendam.

„III. Non incurrit ecclesiasticas poenas ab Ecclesia contra duellantes „latas, dux, vel officialis militiae acceptans duellum ex gravi metu amissionis famae, et officii.

„IV. Licitum est in statu hominis naturali acceptare, et offerre duellum ad servandas cum honore fortunas, quando alio remedio earum iactura propulsari nequit.

„V. Asserta licentia pro statu naturali applicari etiam potest statui „civilitatis male ordinatae, in qua nimirum vel negligentia, vel malitia „Magistratus iustitia aperte denegatur.

Postea in dicta Constitutione statuit idem *Bened. XIV.*: *Auditis itaque super unaquaque earum propositionum dictorum Cardinalium et Consultorum iudiciis, atque omnibus rite et mature consideratis, nos ipsas praesentium litterarum tenore, et Apostolica auctoritate tanquam falsas, scandalosas, ac perniciosas rejicimus, damnamus, ac prohibemus, ita ut quicumque illas aut conjunctim, aut divisim docuerit, defenderit, ediderit, aut de his, etiam disputandi gratia, publice aut privatim tractaverit, nisi forsitan impugnando, ipso facto incidat in excommunicationem, a qua non possit (praeterquam in mortis articulo) ab alio quacumque etiam dignitate fulgente, nisi ab existente pro tempore Romano Pontifice absolvi. Insuper districte, in virtute sanctae obedientiae, et sub interminatione divini iudicii, prohibemus omnibus Christi fidelibus cujuscumque conditionis, dignitatis, et status, etiam speciali et specialissima nota dignis, ne praedictas opiniones, aut aliquam ipsarum ad praxim deducant.*

Jam vero ut exitiosam duellorum licentiam, in Christiana, ac praesertim militari Republica, non obstantibus providis legibus a plerisque etiam saecularibus Principibus et Potestatibus ad eandem extirpandam laudabiliter editis, adhuc gliscentem validiore manu coerceamus, gravissimum scelus Apostolicae districtiois gladio magis magisque insequamur, omnes et singulas dictorum Romanorum Pontificum Praedecessorum nostrorum Constitutiones superius enunciatas, quarum tenores, ac si praesentibus de verbo ad verbum insertae forent, pro sufficienter expressis haberi

volumus, Apostolica auctoritate confirmantes, et innovantes, ad hoc, ut poenarum gravitas et severitas majorem perditis hominibus ingerat peccandi metum, nostro motu proprio, ac de Apostolicae auctoritatis plenitudine, earundem praesentium litterarum serie statuimus atque decernimus, ut si quis in duello sive publice, sive privatim indicto, hominem occiderit, sive hic mortuus fuerit in loco conflictus, sive extra illum ex vulnere in duello accepto, hujusmodi homicida tanquam interficiens proximum suum animo praemeditato ac deliberato, ad formam Constitutionis felicis recordationis Praedecessoris Nostri *Benedicti Papae XIII.* quae incipit: *Ex quo divina, data VI. Idus Junii anno Domini MDCCXXV.* ab ecclesiastica immunitatis beneficio exclusus et repulsus omnino censeatur, ita ut a cujuscumque sacri aut religiosi loci asylo, ad quod confugerit, servatis tamen de jure servandis, extrahi, et iudicis competentis curiae pro merito puniendus, tradi possit et debeat. Super quo Nos *Episcopis*, aliisque superioribus Antistitibus, ad quos respective pertinet, et pertinebit impertur, necessarias et opportunas facultates praesentium quoque tenore impertimur. Quin etiam, vivente adhuc altero in singulari certamine graviter vulnerato, si percussor in locum immunem se receperit, ex quo, eveniente illius morte, fugam arripere, et legum severitatem evadere posse prospiciatur; volumus et respective permittimus, ut, quatenus periti ad inspiciendum vulnus acciti grave vitae periculum adesse retulerint, percussor ipse, praevio semper decreto *Episcopi*, et cum assistentia personae ecclesiasticae ab eodem *Episcopo* deputatae, ab hujusmodi loco immuni extractus sine mora carceribus mancipetur, ea tamen lege iudicibus indicta, ut illum Ecclesiae restituere debeant, si vulneratus superstes vivat ultra tempus a legibus, quae de homicidio sunt, constitutum; alioquin in easdem poenas incidant, quae in memoratis *Benedicti XIII.* litteris constitutae sunt adversus illos, qui delinquentem in aliquo ex casibus ibidem expressis, ex indicis ad id sufficientibus sibi traditum, restituere recusent, postquam is in suis defensionibus hujusmodi indicia diluerit.

Praeterea simili motu et auctoritate decernimus ac declaramus, sepulturae sacrae privationem a sacrosancta Tridentina Synodo inflictam morientibus in loco duelli et conflictus, incurrendam perpetuo fore, etiam ante sententiam iudicis, a decedente quoque extra locum conflictus ex vulnere ibidem accepto, sive duellum publice, sive privatim indictum fuerit, ac etiamsi vulneratus ante mortem non incerta poenitentiae signa dederit, atque a peccatis et censuris absolutionem obtinuerit; sublata *Episcopis* et *Ordinariis* locorum super hac poena interpretandi ac dispensandi facultate, quo caeteris documentum praebetur fugiendi sceleris, ac debitam Ecclesiae legibus obedientiam praestandi.

1431. Nec omittenda est Bulla *Benedicti XIV.* quae incipit: *Providas Romanorum Pontificum*, anno 1751. 16. Maji data Romae, habeturque in tomo III. ejusdem Bullarii pag. 373. in qua confirmantur Litterae Apostolicae *Clementis XII.* anno 1738. IV. Kalend. Maji datae, et universis fidelibus inscriptae, quarum initium est: *In eminenti*, vi quarum uterque Ss. Dominus nonnullas societates, coetus, conventus, collectiones, conventicula, seu aggregationes vulgo de *Liberi Muratori*, seu *Francis Maçons*, vel aliter nuncupatas perpetuo damnavit atque prohibuit, praeci piens omnibus et singulis Christi fidelibus sub poena excommunicationis ipso facto absque alia declaratione incurrenda, a qua nemo per alium, quam per Romanum Pontificem pro tempore existentem, excepto mortis articulo, absolvi possit, ne quis auderet, vel praesumeret hujusmodi societates inire, vel propagare, aut confovere, receptare, occultare, iisque

adscribi, aggregari, aut interesse, vel potestatem, aut commoditatem facere, ut alicubi convocentur, iisdem aliquid ministrare, sive alias consilium, auxilium, vel favorem palam aut in occulto, directe aut indirecte, per se vel per alios quoquo modo praestare, nec non alios hortari, inducere, provocare, aut suadere, ut hujusmodi societatibus adscribantur, annumerentur, seu intersint, vel ipsas quomodolibet juvent ac foveant, sed omnino ab iisdem societatibus, coetibus, conventibus, collectionibus, aggregationibus, seu conventiculis prorsus abstinere se debeant.

*Excommunicationes in Bulla Coenae.*

„Haeresis, et sparsi per libros lectio virus,  
 „Quae jus, quaeque favor vetuit pedagia, causae  
 „Personaeque sacrae discussae a iudice vano,  
 „Lex Clero adversans, falsaque insignia Bullae  
 „Fortiter adstringunt supremae vincula Coenae.

*Excommunicationes aliae Papae reservatae.*

„Fur templo effracto, vel iudicis ore cremator,  
 „Participans noxam, veniae nec foedera servans,  
 „Dans sacra vitandis, Papae interdicta recusans,  
 „Re vel spe Simon, subiensque, juvansque duellum,  
 „Invadensque loco canonis sive aegyde tutos,  
 „Crimine non poterit quovis a iudice solvi.

*Excommunicationes non reservatae.*

„Cognatum ducens, vetitum tellure recondens,  
 „Extorquens veniam, curans viventis abortum,  
 „Ad juga, vel sacra vota trahens, retrahensque puellam  
 „Judex, conventus hominum vitare jubetur.  
 „N. B. Quibus tamen successive accessere aliae, et aliae.

*Casus reservati Episcopis juxta cujuscumque libitum.*

„Qui facit incestum, deflorans, aut homicida,  
 „Transgressor voti, perjurus, sortilegusque,  
 „Sacrilagus, patrum percussor, vel sodomita,  
 „Et mentita fides, faciens incendia, prolis  
 „Oppressor, blasphemus, haereticus, omnis adulter,  
 „Pontificem super his adeat, Clerum feriensque.

*Iidem casus hisce quatuor carminibus sunt etiam contenti:*

Haeretici, appellans, latroque, pedagia, falsans  
 Ferrum, annona, venit Romam cum cardine, causas,  
 Usurpas, statuis, decimas, capitalia avertis,  
 Atque peregrinos, terras, capias, ipseque solvens.

Horum fusiorem explicationem vide in Rituali Romano, sive Agenda. De his nota 1. universaliter, quod nullus casus Pontifici sit reservatus, nisi ratione annexae censurae excommunicationis; proinde omnis casus Papae reservatus habet sibi annexam hanc censuram.

Nota 2. Cum nullum utique peccatum sit reservatum, sive a Papa reservetur, nisi ratione excommunicationis annexae, vel suspensionis, ut ignorantia juxta Theologos plerosque excuset ab incursione censurae ecclesiasticae, excusabit etiam ab incursione reservationis papalis, ideoque nullus incurret casum reservatum, nisi scienter.

§. IV. De suspensione.

1432. Principium I. *Suspensio est censura ecclesiastica, qua Clerico ad tempus prohibetur exercitium sui officii, vel perceptio fructuum sui beneficii, vel utrumque simul, idque vel ex toto, vel ex parte.* Alii brevius sic: Suspensio est censura, per quam persona ecclesiastica impeditur aliqua potestate, aut jure ecclesiastico. *Laymann* L. 1. t. 5. p. 3. c. 1. Dixi 1. *Censura*, sic convenit cum excommunicatione et interdicto; differt ab irregularitate, degradatione, et depositione, quae non sunt medicinales poenae; differt etiam a quadam alia specie suspensionis, de qua fit mentio in c. *Cum in cunctis*, de electione, quae ut mera poena imponitur, et subinde est perpetua: suspensio autem proprie ut medicinalis debet fieri ad tempus per modum monitionis, ut desistat a contumacia; regulariter etiam debet fieri in scripto. Si feratur verbaliter, aut pure ad puniendum delictum praeteritum, aut in perpetuum, non est proprie censura, ideoque in ea exercens functiones ordinis, peccat quidem, sed non incurrit irregularitatem.

Suspensio primo alia est *totalis simpliciter*, quae simul est ab officio et beneficio, sive qua Clericus ab omni exercitio officii tum ordinis, tum jurisdictionis, et ab omni fructuum perceptione ad tempus prohibetur, quamvis non adimatur potestas ipsa, nec titulus beneficii. Alia *localis secundum quid* est, qua Clericus vel tantum prohibetur ab exercitio officii, vel tantum a perceptione fructuum ex beneficio. Hanc subdividit *Laym.* iterum in totalem et partialem. *Suspensio totalis ab officio* est, per quam Clericus ab omni spiritali officio tum ordinis, tum jurisdictionis, et ecclesiasticae administrationis impeditur. Sic Sacerdos suspensus prohibetur celebrare Missam, sacramentaliter absolvere, ministrare extremam unctionem, solemniter baptizare etc., quamvis instar laici possit interesse sacris officiis, cum aliis orare, sacrificanti ministrare, in necessitate baptizare etc. *Suspensio totalis a beneficio* est, per quam Clericus ab omni beneficio ecclesiastico quoad ejus administrationem, et fructuum perceptionem ad tempus suspenditur. *Partialis suspensio ab officio* vel est ab ordine tantum, aut ab aliquo actu ordinis, v. gr. a celebratione Missarum, actu ordinandi etc., vel a jurisdictione tantum, aut certo actu jurisdictionis, v. g. a collatione beneficii, a ferenda censura, voce suffragii etc. *Partialis suspensio a beneficio* respicit vel certum beneficium tantum, vel partem beneficii. Praeterea suspensio alia est *latae sententiae*, quae ipso facto per jus infligitur; alia *ferendae*, quae supposito facto per sententiam iudicis infligitur. Denique alia est a jure, alia lata ab homine.

1433. Principium II. Quicumque excommunicationis censuram ferre potest, idem et suspensionis. Omnes autem et soli Clerici, praeter Papam, suspensionis censuram incurere possunt. *Henriquez* contra plerosque existimat, etiam in Abbatissam cadere posse suspensionem. Vide *Laymann* l. cit. c. 2. n. 1. et 2. Effectus suspensionis sunt: I. Suspensus etiam occultus exercendo actum, a quo est suspensus, peccat mortaliter, nisi ignorantia invincibilis aut necessitas excuset. II. Suspensus a functionibus sacri ordinis (non autem tantum minoris, et non sacri) eas exercendo non tantum peccat, sed etiam fit irregularis ob violatam censuram, ut arg. ex c. 1. de sent. et re judic. in 6. Praeterea tales actus ordinis a jurisdictione non pendentes sunt validi, v. g. si suspensus baptizet, consecret etc., quia Ecclesia non potest tollere potestatem ordinis, sed tantum illius exercitium prohibere; actus vero jurisdictionis, v. g. absolutio a peccatis, sunt invalidi, si suspensus sit nominatim denunciatus, quia privatur actuali